



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm  
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

**Sanderus, Antoine**

**Antverpiae, 1625**

Margarita Iprensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10172**

cap. 10. neminem ferè ex immani illa multitudine Gentilium fuisse, qui non impositione manus desideratâ, in Christum crediderit. Sed & Martinum eas regiones, destructis fanis, Ecclesijs & Monasterijs repleuisse. Plura apud Cognatum vide lib. 1. cap. 32. historiæ Tornacensis.

## MARGARITA IPRENSIS.

**V**ixit hæc virgo ex præscripto tertiæ regulæ S. Dominici, & à sacris illi confessionibus fuit B. Zege-<sup>20. 191.</sup>  
rus Insulensis, annos vnum & viginti nata ad Dominum anno 1237. migravit, vitam scripsit Thomas Cantipratanus, & eidem Zegero inscripsit, quam è codice Auberti Miræi euulgavit Hyacinthus Choquetius. Vide & Cantipratanum lib. 2. Apum cap. 48. quinquennis sacrosanctam Eucharistiam à Deo instructa suscepit. Septennis disciplinis & ieiunijs carnem maceravit, bis per hebdomadam tantû pane & aqua corpus sustentabat, decennis Christo crucifixo compassâ spinis se flagellabat, ei votum castitatis facienti cum tribus coronis apparuit, vti & virgo mater quæ ei sua dimissâ esse peccata asserbat. Ab aspectu virorum horruit, silentiû impensè coluit, pacem cum omnibus sectabatur, à vino carnibus & cibis delicatis penitus abstinuit, ieiunia etiam ad triduum protrahebat, summus ei fuit parcissimus, nocte cum die in orationibus transigebat etiam sessa aliquando ab Angelis eleuata, vt elemosynam facere sæpe mendicauit; ab ipso vero Christo Eucharistiam etiam accepit ante Pascha per quadriduû ieiunauit, variæ ei à Christo & Deipara reuelationes factę sunt. Christum crucifixum in Parasceue vidit. Mortem suam prædixit: moribundæ Christus apparuit, multif-  
T que



que post mortem miraculis coruscavit. Vide plura apud Hyac. Choquetium in vitis Sanctorum Belgij.

## MAVRONTVS CONFESSOR.

5. Maij. **D**Vaci (quod opidum est Flandriæ ad Scarpum fluvium Academiâ anno Redemptionis humani generis millesimo quingentesimo sexagesimo secundo institutâ clarum) in vetusta Deiparæ Basilica quatuor Sanctorum corpora, Amati videlicet, Mauronti, Onesimi & Gurdinelli adseruantur; de quibus hi versus ante Orchestram leguntur:

*Corpora Sanctorum sanctissima quattuor horum*

*Hæc habet Ecclesia pignora cara sibi.*

*Astra tenent animas caelesti nectare potas.*

*His vt iungamur Christe Iesu fer opem.*

MAVRONTVS beati Adalbaldi Ducis atque sanctæ Rictrudis filius, Amatum Senonensis Ecclesiæ Præsulem, exulem sanctum ex Perona Veromanduenfi ad Austrouandensem pagum duxit, & in Hamatico primùm Monasterio, post in Broilo honorificè tractavit, ac demum sepeliuit in Monasterio, quod ibidem hortatu eiusdem Præsulis extruxerat. Quod Monasterium sauientibus Normannis inde anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo septuagesimo Duacum ad Deiparæ ædem in Burgo seu veteri castello sitam cum sancti Amati corpore est translatum, lapsuque temporis pro Monachis Benedictinis Canonici sunt substituti. Obiit autem Maurontus anno Domini septingentesimo